UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Opera Varia

Noris, Enrico

Lugduni, 1707

Ad Lectorem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-72494

Visual Library

AD LECTOREM.

EMinentiſſimus, & Reverendiſſimus Fr. Henricus de Noris, antequam ex Auguſtiniano inſtituto ad Cardinalitiam Purpuram ab Innocentio XII. Pont. Max. aſſumeretur, ob Hiſtoriam Pelagianam, Diſſertationem de Synodo V. & Vindicias Auguſtinianas anno 1673. ab ſe in lucem emiſſas, quantis impoſturis fuerit impetitus, jamdiù, Lector optime, novit Literaria Reſpublica. Ut opus præclarum homines garruli & contentioſi elevarent, ejuſque auctorem in invidiam traherent, ab hæreſi & errore ſuppetias petierunt: contendentes variis ſcriptiunculis & libellis, Orthodoxum Scriptorem Romani Pontificis in rebus Fidei definiendis errori obnoxium deferre; Plurimorum in Gallia Præſulum ac Patrum, ob Semipelagianiſmi nævos in illorum crſiptis ab ipſo notatos, doctrinæ, & ſanctitati injurium peragere; Baianiſmi ac Janſeniſmi, aliiſque invidioſis nominibus eundem traducere. Tam grandis, ac tam multiplicis calumniæ notam ſuo nomini, jam Eruditorum aures, & ora ſumma cum laude occupanti, doloſè impactam doctiſſimis elucubrationibus Auctor expunxit; quibus optimè ſuæ famæ conſuluit, & obtrectantium invidos conatus penitùs disjecit. Porrò has Noriſiani ingenii pro ſua cauſa defenſiones ab invicem ſejunctas, utpotè interjecta temporis intercapedine typis excuſas, in unum colligere, Hiſtoriæque Pelagianæ, cujus nova editio procurabatur, aſſuere, mihi decretum fuit; quippè quas à Viris Eruditis deſiderari ſciebam, nec earum ullæ apud Bibliopolas proſtabant. Adornatis defenſionibus aliæ elucubrationes accedunt, quæ vel Pelagianæ Hiſtoriæ illuſtrandæ conducunt, quod præſtat Cenſura in notas P. Joannis Garnerii; vel peregrinas controverſias ejuſdem Hiſtoriæ occaſione excitatas diſſolvunt, cujuſmodi eſt Adventoria P. Franciſco Macedo; vel Lectoris animum ſeriis occupationibus feſſum lepida eruditione demulcent, Quinquaginta videlicet Somnia Fratris Macedo. Illud tandem te præmonitum velim, horum operum ordinem, qui in eiſdem recudendis ſervatur, non illorum dignitatem, ſed tempus, quo ab Auctore edita ſunt, præſeferre; ſi Somnia quinquaginta excipias, quæ veluti erudita mantiſſa ad calcem ſunt poſita. His fruere, & vale.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN